



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Fundamentum & Principium vitæ religiosæ accomodatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)



Omnia Exercitia, de quibus posthac agemus, vsque ad postremum, quod est de perfectione, alicui horum principiorum innituntur.

*Principium & fundamentum accommodatum vitæ religiosæ.*

**Q**UOD in genere de omnibus dictum est, facilè Religiosus suo statui accommodabit.

Primò, Finis Religiosi SOCIETATIS est, quærere propriam & proximi sui salutem & perfectionem.

Secundò, Media omnia quæ in Religione sunt, ad hunc finem diriguntur; partim ad perfectionem propriam, vt sunt Oratio, Sacramentorum frequentatio, &c. partim ad perfectionem proximi; qualia sunt studia, ministeria, &c. Vnde apparet qualis debeat esse perfectus Religiosus, qui totam suam intentionem positam habet in debito fine; & alia omnia media eò dirigit.

E Tertiò,



Tertiò, Eatenus Exercitiis & occupationibus vti, vel ab iis abstinere debemus, quatenus nos iuuant, vel impediunt, in nostrâ seu proximi perfectione. Et hinc facilè constabit, quàm procul à recto deuiemus, si occupationes, & ministeria, & habitationem, non propter istum finem, sed pro libitu nostro, inclinatione, honore, sensu & commodo eligamus.

Quartò, Sequitur, quòd, quantum in nobis est, ad omnem habitationem, ministeria, & omnis generis occupationes, indifferentes esse debeamus: & hæc est nobilis illa indifferentiæ virtus, quæ tantopere in SOCIETATE commendatur, quâ, ad conformitatem cum Dei voluntate, à sanctâ Obedientiâ suauiter nos regi permittimus.

SECVN-